Pergamene del Secolo XV°

IULIUS CESAR CANTELMUS dei et Apostolice sedis gratia Episcopus Montis pelusij Civitatum fulginei Asisij Nucerie Terre Gualdi et in temporalibus et spiritualibus Gubernator. Magnificis Prioribus Civibus ac Comitatinis Terre Gualdi Salutem in domino qui est omnium salus: et perpetuam in hiis Constitutionum observantiam. Quanta apud maiores nostros legum observantia fuerit, multa et varia tam atheniensium lacedemoniorum et romanorum quam ceterarum exterarum Gentium in medium exempla adduci possunt: que cum omnia cunctis pateant, supervacaneum esse duximus illa recensere. Et ex re cum superiorem rectorem deceat in rebus sibi commissis bene gerere quo nihil [illegible] diligenter et accurate intendere [illegible] oculos [illegible] quos [illegible] deum [illegible] rei publice regiminis [illegible] inspecimus: plurima ex hac ratione moti, Salubria adcultum bene beateque vivendi normam instituimus documenta: pro honore Sacrosancte Romane ecclesie, et status Sanctissimi Domini nostri domini Innocentij Pape octavi: et huius Magnifice Terre Gualdi tranquillitate. et quia parum esset leges condere nisi ab omnibus inconcusse observentur, et omnes principium extimi perficiuntur: ideo has infrascriptas constitutiones in nomine domini hodie promulgamus perpetuo valituras quas ab omnibus observari mandamus sub pena excomunicationis late sententie, quam ipso facto incurrat, a qua non possint absolvi, nisi in mortis articulo, vel a romano pontifice, aut a nobis successoribus, eandem qua fungimur auctoritatem habentibus: et eam ipsam excomunicationem durare volumus et in suo robore esse per decem menses proxime futuros et non ultra pro observatione et habitu capitulorum nostrorum:

Sancimus imprimis et ordinamus, ut primus Priorum quem extunc Confalonerium appellari volumus, semper in eundo redeundo stando loquendo sit primus: Declarantes propterea, istam prioritatem maiorem non habeat auctoritatem quam ceteri College priores: Cui Confalonerio volumus assignari vexillum civitatis tempore prestiti iuramenti:

Item sancimus et ordinamus quod extunc priores extrahendi non admittantur ad officium prioratus nisi deferant caputia de rosaceo in capite et sine illis non possint in publico esse, que caputia non possint mutuo habere sed propria: et non aliena:–

Item quod dicti domini priores non valeant scribere nec possint sub nomine officij ad Summum pontificem, et ad Reverendissimos Dominos Cardinales in commendationem officialium vel contra sine scitu et consensu consilij secreti rite congregati:–

Item quod dicti domini priores non possint congregare consilium secretum nec in eo aliquid proponere sine consensu regulatorum, nec valeant ordinare consilium magnum sine consensu consilij secreti, in quibus si dubium oriretur de congregatione consilij magni, vel de proponendis in eis, tunc in tertios pallotterie, et quod pro maiori parte fuerit obtentum effectum sortiatur/

Item quod dictum consilium magnum non possit congregari nisi prius vocatis comitatinis una die pro altera: qui et consilio adesse debeant et teneantur sub pena quinque solidorum exigendorum:

Item quod proposita et arengata seu consulta tam in consilio Secreto quam in magno non possint ballottari nisi prius per priores et regulatores fuerit optatum pro maiori parte::

Item statuimus et ordinamus, ac interdicimus omnibus et singulis prioribus cum regulatoribus non valeant nec possint quoquomodo bona civitatis dicte terre mobilia, et immobilia alienare, vendere, donare, concedere, impignorare quocumque titulo, sub censu, et penis predictis, volentes et declarantes tale venditionem, alienationem, impignorationem, donationem et concessionem que fieri contigerit contra presentem constitutionem nullius momenti et roboris fore:

Item statuimus et ordinamus, quod si aliquis ex prioribus extrahendis contingat abesse a terra gualdi non possit aliquem in eius locum subrogari nec substituere, sed si venerit et steterit in dicto officio per aliquot dies inde recedens tamen cum voluntate consilij secreti habeat integrum salarium soluta prius rata expensarum sibi tangentium:

Item si extractus prior absens fuerit pro eo mittendo ad officium exercendum, expendatur a dimidio floreno pro mittendo ad eum ad officium exercendum vel minus uno floreno, secundum loci distantiam:

Item quod si aliquis ex confaloneriis de vita decederet ante extractionem quod porte licet unde est defunctus quod homines illius porte eligere habeant dictum Confalonerium cum Salario consueto tamen prius debeant consulere et requirere Superiorem qui pro tempore erit/ pro dicta electione:

Item statuimus et ordinamus quod Bullette que fiunt a prioribus Massarijs Communis directe nullius sint roboris et Momenti; et massarij non teneantur alicui solvere vigore dictarum bullettarum nisi fuerint prius signate sigillo regulatorum: Et si dicti Massarij contra huius ordinem venerint intelligantur de suo proprio solvisse:

Item volumus et ordinamus quod predicti Regulatores debeant habere unam Capsulam in palatio Priorum in loco convenienti cum quatuor Clavibus: et unusquisque eorum teneat unam clavem, in qua Capsula reponatur de continuo sigillum dictorum regulatorum: volentes et si contigerit aliquem [illegible] [illegible] dicte capsule [illegible] acommoditate priorum [illegible] in casu necessitatis possit haberi sub pena xx solidorum: Addentes quod si tres erunt concordes in signando aliquid: et quartus forte recusaret: ille possit cogi ad clavem dandam:

Item Statuimus et ordinamus quod regulatores personaliter adesse debeant omnibus et singulis consilijs Magnis et secretis dicte terre sub penis quinque solidorum pro qualibet vice, In eandem penam incidat si vocati a prioribus per quatuor tocchos campane magne communis: et non venerint, reservato in evidenti casu necessitatis:–

Item statuimus et ordinamus quod si quis regulatorum decesserit ante extractionem officij vel cum in officio fuerit: homines illius porte in qua decessit eligant alium loco demortui cui consignabitur clavis:

Item statuimus et ordinamus quod Priores et regulatores possint et valeant, providenti necessitate civitatis expendere de pecunijs communis dicte terre usque ad summam duorum florenorum de marchia et non ultra:–

Item quod Regulatores debeant semper adesse in extractione novorum officiorum, et siquid dubij inde oriretur procurent ut nostre constitutiones sequantur: et Terre Statuta:–

Item statuimus et ordinamus quod qui pro tempore erunt de consilio secreto teneantur et debeant accedere ad consilium quandocumque erunt vocati per sonum campane que pulsabit ad xx tocchos de quinque ad v cum aliquali distantia pulsationis sub pena v solidorum pro quolibet contrafaciente volentes quod completo numero tocchorum fiat publica requisitio per Cancellarium communis ad cognoscendum qui venerit, vel defuerint: et absentes incurrant in penam predictam: Applicandorum Communitati dicte Terre: et exigendorum infra quatuor dies per pretorem dicte terre:

Item statuimus et ordinamus quod dictum consilium secretum habeat auctoritatem et facultatem expendendi de pecunijs civitatis usque ad x florenos in casibus in quibus subito consilium magnum congregari non posset: ac etiam valeant Oratores mittere et alias expensas facere dummodo dictam summam decem florenorum non excedat:–

Item statuimus et ordinamus quod Consilium Magnum solummodo habeat auctoritatem et baliam alienandi bona civitatis in evidentem utilitatem civitatis predicte: hortamur tamen ut non sine urgenti necessitate id agat: ac bono publico semper consulere intendat:

Item statuimus et ordinamus quod omnes qui erunt extracti de consilio magno, teneantur, et debeant accedere ad dictum Consilium Terre pulsata campana magna communis, sub pena prenominata:

Item statuimus et ordinamus quod si aliquis ex consiliarijs consilij magni, vel secreti decesserit: homines illius porte, ubi defunctus est: eligendi facultatem habeant: et ille talis ascribatur a Cancellario civitatis in numero aliorum consiliariorum

Item statuimus et ordinamus ut nequid ambigui remaneat: quod causa necessitatis alicuius regulatorum et consiliariorum intelligatur qui vere infirmus est: vel qui abfuerit a territorio terre gualdi: in alijs non excusationem absentie admitti volumus sed incidat in penam v solidorum civitati applicandorum pro reparatione palatij Magnificorum priorum:

Item Statuimus et ordinamus quod in consilijs faciendis, nemo possit loco sui substitutum facere: nec alteri aliquo modo suffragium sue vocis dare et concedere: sub pena xx solidorum applicandorum ut supra: et tamen substitutio: et suffragium nullius sit roboris et momenti:–

Item statuimus et ordinamus quod unusquisque prioratus tempore suo, teneat facere unum saltem consilium, ubi nihil aliud tractetur, quam de bono publico dicte terre, et omnibus liceat arengare pro salubri regimine dicte terre:/ et alijs ipsius terre necessitatibus:–

Item statuimus et Ordinamus quod omnes qui fuerint de prioribus teneantur et debeant bis in anno cum luminarijs accensis portare Caputia super humeris: videlicet in festo sacratissimi corporis christi et in festo diui Angeli dicte terre in mense Maij sub pena xx solidorum applicandorum ut supra

Item statuimus et ordinamus quod priores qui pro tempore fuerint, non valeant nec possint ferre mantellum sive pallium in magistratu: quin illud protensum sit, usque ad tibias:

Item statuimus et ordinamus quod nullius priorum propter mortem consanguineorum, affinium, et propinquorum possit officium prioratus pretermittere: nec caputia rosacea deponere: Cum Constantia in eo nil possit contingere: quod in intermissio fiat officij/

Item statuimus et ordinamus quod unicuique liceat infra x dies prioribus et regulatoribus dicte terre porrigere omnes querelas contra priores veteres functos eorum officio: qui priores teneantur referre ad primum consilium agendum, et quod decretum fuerit in absolvendo vel condemnando: exequatur: et si infra terminum predictum non habuerit petitiones: pro absolutis habeantur:

Item statuimus et ordinamus quod priores teneantur facere continuam residentiam in palatio fidie nisi in casu necessitatis: et eorum expensis propter augumentum salarij, teneantur retinere duos famulos: nec soli possint ire ad domum: nec redire ad palatium sine famulis:

Item statuimus et ordinamus: et perpetuo sancimus quod finito presenti bussulo et Consilio magno quod per triennium durat: debeat illud consilium denuo renovari: eodem modo quo fuit per nos institutum videlicet ex quatuor portis dicte terre: Sancti Donati silicet Sancti benedicti Sancti Martini: et Sancti facundini homines cuiuslibet porte eligant sex idoniores consiliarios, qui indicto consilio magno ad integrum triennium erunt: qui in numero erunt viginti quatuor: addendo xxiiij ex comitatinis eodem ordine, qui perficiunt numerum quadraginta et octo: Volumus tamen quod semper in dicto consilio adsint Magnifici Priores Regulatores: et Artium Camerarij qui pro tempore erunt: et istud intelligimus et esse volumus Consilium magnum dicte terre: quod Consilium in omnibus et per omnia sine aliqua reservatione eandem habeat facultatem et auctoritatem quam habet: seu habere potest universus populus Civium et Comitatinorum dicte terre Gualdi:– Mandamusque perpetuo eundem ordinem in electione predicti Consilij observari: sub penis superius notatis/

Item statuimus et ordinamus quod eodem tempore reficiatur Consilium Secretum quo et magnum renovatur, in hunc modum et formam videlicet quod sexdecim ex predicto Consilio magno: quod est tertia pars: additis prioribus et regulatoribus sit Consilium secretum primum annum integrum: et sexdecim alij predicti Consilij magni cum prioribus et regulatoribus pro secundo anno: et istud idem pro tertio anno observari volumus: ita et taliter quod simul consilium magnum, secretum, et bussulum aliorum officiorum expediatur et terminetur: et pro maiori declaratione, addimus quod ex omni porta eligantur duo Cives et totidem Comitatini, additis prioribus et regulatoribus qui pro tempore erunt, sit una ballutta: eodem modo conficiatur secunda et tertia ballutta, que extrahantur successive quolibet anno: semper incipiendo a Kalendis Januarijs: declarantes quod nemo possit esse de consilio secreto qui non sit de magno: et Camerarij non intelligantur in Consilio secreto: nisi habeant utrumque officium


Item statuimus et ordinamus et Magnificis Prioribus expresse mandamus sub pena amissionis eorum salarij: et Regulatoribus et Alijs personis sub pena decem ducatorum applicandorum camere apostolice: non debeant vel presumant exigere vel recipere, seu detinere de pecunijs et introitibus civitatis quovis quesito colore: sed omnis introitus debeat integre ire penes depositarium seu camerarium civitatis velerius substituto in casu necessitatis ut ne civitas nihil ut hactenus: nec quoque defraudetur et ut omnia recte et rite procedent: deo maxime perpetuo favente:–

Item statuimus et ordinamus quod quicumque aliquis ex prioribus abesset qualicumque de causa teneatur relinquere clavem suam uni ex collegis sub pena x librarum applicandorum ut supra: In eandem penam incurrat regulator: quando tres erunt conformes: et clavem suam non daret:

Item ut facilius predicta omnia et singula omni cum debito et reverentia observentur, quia dignitas prioratus aucta est cum familia quod alijs expensis merito videtur a nobis dictam dignitatem debere salario et premio augeri: ea ex re Tenore presentium statuimus et ordinamus, quod quolibet anno viginti quatuor floreni de camera augeantur: silicet quatuor in omni prioratu: ita ut omnis prior habeat unum florenum de camera: plusquam habere consueverat in singulo semestri sine camere apostolice detrimento: Et dicti xxiiij floreni extrahantur ab infrascriptis locis silicet floreni Octo papales quolibet anno ex tubicinibus omnibus civitatis: quibus satis competens salarium remanet: cum pacto servitio illi astringantur: Item duodecim floreni papales extrahantur ex retentionibus pretorum quolibet anno videlicet pro quolibet semestri sex floreni: Item quatuor floreni extrahantur ex sindicatoribus pretorum quolibet anno: videlicet pro singulo semestri duo floreni: Et omnes dicte pecunie addantur in augumentum salarij Magnificorum dominorum priorum modo predicto: et id in perpetuum durare: et observari mandamus: Incipiendo dictam solutionem fiendam presentibus prioribus extractis pro kalendis Januarij proxime futuri– et ita successive subsequendo: Mandando insuper Camerario Camere apostolice presenti et futuro sub pena viginti ducatorum camere apostolice applicandorum quatenus debeat retinere de salario tubicinum octo florenos de camera, et non de retentionibus pretorum florenos duodecim de camera quolibet anno: videlicet in omni semestri sex: Item quatuor florenos de camera syndicatorum dictorum pretorum singulo semestri duos/ quas omnes pecunias tempore congruo et debito dictis prioribus presentibus et futuris cum effectu solvat: et solvere faciat, videlicet in omni prioratu solvat quatuor florenos de camera: pro quorum observantia volumus Camerarium posse cogi: et florenus intelligatur ad rationem octo [illegible]norum papalium– Et dicta capitula et constitutiones a nobis editas et inter sollemnia missarum in abbatia sancti benedicti Terre Gualdi coram universo populo lectas et promulgatas mandavimus nostro sigillo maiori pendenti communiri [illegible] in terra Gualdi in predicta abbatia die vigesima secunda decembris Millesimo quatercentesimo octuagesimo nono: pontificatus Sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Innocentij divina providentia pape octavi Anno eius Sexto.

28

Et ego Antonius thusculanus prefati Reverendissimi domini Gubernatoris Cancellarius et apostolica Auctoritate publicus Notarius: predictis omnibus et singulis dum fierent interfui, et ad perpetuam rei memoriam predicta omnia capitula et Constitutiones mea propria manu annotavi scripsi: et publicavi ac meum consuetum signum apposui: ut fides premissorum perpetua remaneat:– et Constitutiones ac capitula que ad bonum optimumque regimen Magnifice terre gualdi perpetuo spectare;



Antonius thusculanus Cancellarius scripsit

ARCHIVIO STORICO COMUNALE
GUALDO TADINO

4

ARCHIVIO PREUNITARIO

22 Novembre

1489.

Privilegi e Procedura riguardo ai Consigli di Credenza e generali. Il 1° Priore ottiene il nome di Gonfaloniere, ed ha il Cappuccio rosso per distintivo. Decreto di Giulio Cesare Cantelmo Vescovo, e Governatore sì nello Spirituale che temporale di Fuligno, Assisi, Nocera e Gualdo —